



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1675. usque ad annum 1681

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1780

VD18 90119207

§. 29. Hoc Episcopi edictum a Regio Senatu irritatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67305)

„tium: indicta autem suspensionis ipso Sæc. XVII.
 „facto incurrendæ pœna tam his, qui A.C. 1676.
 „aliud exigunt, quam qui præstant,
 „prohibemus, ne juramentum præstent
 „sine distinctione doctrinæ harum pro-
 „positionum a facto Jansenii &c. Postea
 idem Episcopus die quarta Septem-
 bris aliud vulgavit decretum, quo
 prius interpretabatur, asserens, nun-
 „quam sibi in mentem venisse, quod
 „puram & simplicem subscriptionem
 „prohiberet illis, qui juxta suum dicta-
 „men credunt, quod salva conscientia
 „subscribere possint.,

§. XXIX.

*Hoc Episcopi edictum a Regio Se-
 natu irritatum.*

Postquam Ludovicus Rex ejusmodi
 edictum ab Andegavenſi Episcopo *Argentre*
 fuisse promulgatum compererat, im-^{suppl. p. 398.}
 pellantibus Harlæo Parisiensi Episcopo
 & Patre la Chaise Jesuita mox in Re-
 gio suo Senatu vehementer quereba-
 tur, quod Episcopus regias literas die
 decima quarta Februarii & decima sexta
 Aprilis circa juramentum ad Cancel-
 larium datas, quibus quicquam circa
 subscriptionis modum immutari prohi-
 bitum, prætexta obreptione eludere
 velit, eapropter a regio Consilio sequens
 decre-

Sæc. XVII. decretum contra hunc Episcopum die
 A. C. 1676. trigesima Maij ex Ninovenſi caſtro pro-
 mulgari juſſit: „Non ſine indignatione
 „Rex percepit, quod hic Episcopuſ
 „Regis mandato manifeſte reluſtare, &
 „quamvis inter Cancellarii juramen-
 „tum & formulæ ſubſcriptionem ab eodem
 „Præſule ad Clementem IX. tranſmiſſam
 „exiguum ſit diſcrimen, ſuum tamen
 „edictum honeſtare velit non minus
 „falſo, quam pernicioſo fundamento,
 „& noxia conſecutione, perinde ac ſi
 „quiſ non modo haud ultra ſubſcribere
 „teneatur, ſed nequidem formulæ circa
 „quæſtionem ſacti juxta Cleri Gallicani,
 „Pontificiarum Bullarum, & regionum
 „diplomatum mandata ſubſcribere per-
 „miſſum ſit, proin ſub obtentu paciſ
 „juxta ejus arbitrium detortæ, & ma-
 „niſeſtius eluſæ, Episcopuſ formulam,
 „ejusque ſubſcriptionem per Apoſtoli-
 „cas Conſtitutiones, receptas, accep-
 „tatas & in Regno promulgatas abo-
 „lere poſſet, ſimulque ſacræ Sedis in-
 „dulgentiam (*), qua in favorem dun-
 „taxat quorundam privatorum, atque
 „ad

(*) Ex hiſ inferebant quidam, quod Papa ſaltem pro quatuor illiſ Episcopis, Religioſis & Eccleſiaſticis in ſua pace comprehenſis de ſubſcriptionis rigore quicquam remiſerit. Aſt in Bulla omnem reſtrictionem excluſi compertum eſt

Sæc. XVII.
A.C. 1676.

„ad tollendas eorum anxietates, me-
 „tumque de fors incurfis pœnis, non
 „sine singulari prudentia quorundam
 „subscriptiones cum ampliore explica-
 „tione factas acceptavit, interpretari
 „valeret, perinde acsi hæc conniven-
 „tia foret revocatio Constitutionis, quæ,
 „nulla ejusmodi interpretationis men-
 „tione facta, formulæ subscriptionem
 „juratam præscribit, atque Ecclesia-
 „sticis, qui pure ac simpliciter Sedis Apo-
 „stolicæ auctoritati, sese subjecisse, glo-
 „riæ sibi ducunt, deinceps hanc sub-
 „scriptionem tanquam legem necessa-
 „riam atque immutabilem imponit.
 „Quapropter censuit Rex, iniquissimum
 „fore, quod sub pœna suspensionis
 „scriptio, prout eam Papa præ-
 „scripsit, edicto prohiberetur, inde
 „enim sequi necesse foret, illos, qui
 „promptam Constitutionibus Apostoli-
 „cis obedientiam reddiderunt, atque
 „etiamnum reddunt, adeo non com-
 „mendandos esse, ut etiam propter eo-
 „rum submissionem, & debitum obse-
 „quium exponantur Ecclesiæ censuris,
 „quæ tamen nonnisi obtemperare te-
 „mere recusantibus infligi possunt. Igi-
 „tur Rex universitatem, cujus funda-
 „tor & protector est, Episcopi aucto-
 „ritati circa hoc disciplinæ caput non
 „esse subiectam declarare, eique suum
Hist. Eccles. Tom. LXIV. E „pa-

Sæc. XVII. „patrocinium impendere compulsus,
A.C. 1676. „ejus edictum & quicquid vi hujus
 „fieri posset, tanquam nullum, irritum-
 „que declarat, ac Pontificias Constitu-
 „tiones, & regia diplomata exacte ser-
 „vari, & circa Baccalaureorum jura-
 „mentum, ut Cancellarius ac Syndicus
 „referrent, præcipit.,

Verum huic Præsuli suppetias fere-
 bant Jansenistæ, qui pro sua vafritie,
 solitaque instar Prothei in omnes for-
 mas mutabilitate eidem Authores e-
 rant, ut constanter propugnaret, quod
 Jansenii factum juramento a promoven-
 dis præstando nullatenus a Papa, sed
 Universitatis Cancellario fuerit assen-
 tum, qua fraude nonnulli ex Faculta-
 tis Doctoribus fuerunt decepti, quam-
 vis de dolo convicti postea resipuerint,
 atque ipsamet Universitas imprudenti
 huic edicto semper obstiterit; die e-
 nim nona Julii decreto sancivit, nemi-
 nem ad Universitatis gremium admis-
 sum iri, nec theses propugnare posse,
 nisi juxta Parisinæ Facultatis consuetu-
 dinem formulæ subscripsisset. Postea
 Facultas eos, qui ab anno hujus sæ-
 culi sexagesimo octavo promoti essent,
 ad subscribendum compulit, ubi re-
 luctantes aut gradu suo dejecti aut exi-
 lio mulctati fuerunt: Porro de hoc illo
 Regis decreto infra sermo redibit.

§. XXX.